



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 7. Quænam sunt peccata mortalia vel venialia ex genere suo?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

num, requiritur, quòd omnia rectè concurrant; bonum enim ex integra causa, malum verò ex singularibus defectibus. Ait S. Thom. 2. 2. q. 110. a. 3.

Q. 7. Quanam sunt peccata mortalia, vel venialia ex genere suo?

Resp. I. Cum S. August. Enchirid. c. 78. Quæ sint levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda iudicio, & c. 79. sunt autem quedam, quæ levissima putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur opinione graviora, quis enim dicentem fratri suo, fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret?

Resp. II. Id sicut tota doctrina morum repeti debet. 1. ex Scriptura. Quæ enim ab illa dicuntur abominabilia, detestanda, execranda, Deo exosa, digna morte, gehennæ, excludere à regno Dei, vel ob quæ dicitur væ! Judicanda sunt ex genere suo mortalia. 2. Ex traditione, quæ exstat in scriptis Patrum. 3. Ex definitione, & sensu ecclesiæ, quæ semper est infallibilis in doctrina fidei, & morum. 4. Ex ratione fide illustrata, & his principiis nixa. 5. Ex unanimi Doctorum consensu.

Resp. III. Peccatum mortale ex genere suo est illud, intra cuius objectum, seu materiam datur aliquid grave, seu graviter

re-

repugnans rectæ rationi, vel fini legis: qualia sunt peccata contra virtutes Theologicas fidem, spem, & charitatem, contra religionem, justitiam, & alias virtutes graviter obligantes, item quæ nos graviter corrumpunt. Peccata verò, quæ leviter tantùm adversantur naturæ rationali, vel præcepto leviter obliganti, & quæ non lædunt graviter charitatem Dei, & ejus honorem, vel proximum quoad personam, res, vel jura, nec nos ipsos corrumpunt, sed continent præcisè aliquam levem inordinationem, ut mendacium officiosum verbum otiosum, sunt venialia per se, & ex genere suo. *S. Thom.* 1. 2. q. 88. a. 2.

Resp. IV. Mortale ex genere suo duplex est, aliud ex toto genere suo, aliud ex genere suo non toto. Peccatum mortale ex toto genere suo est illud, cujus omne objectum, seu omnis materia est per se gravis, quia nempe quælibet ejus materia gravem inordinationem continet, vel per quamlibet ejus quantitatem læditur graviter virtus, quæ est finis præcepti gravis. Unde non potest esse veniale nisi ex imperfectione actûs, seu ex defectu advertentiæ, & consensus sufficientis ad mortale. Talia sunt ea, quæ sunt directè contra aliquod attributum divinum, ut odium, & contemptus Dei, hæresis, desperatio blasphemia, perjurium, &c. Nam hæc directè repugnant Dei bonitati, veracitati,
mi-

misericiordiæ, Majestati, excellentiæ infinitæ Dei; & per ista graviter læduntur charitas, fides, spes religio, &c. Talia item sunt, quæ graviter disconveniunt naturæ rationali, seu ex se gravem habent inordinationem, ut delectatio venerea extra conjugium, pollutio, &c.

Mortale verò ex genere suo, sed non toto est illud, intra cujus objectum, seu materiam datur aliquid ex se grave, & leve, seu graviter, & leviter inordinatum, ac prohibitum, quatenus per aliquam materiam graviter, & per aliam leviter læditur virtus, quæ est finis præcepti. Nam illa materia censetur gravis, per quam graviter læditur virtus, quæ est finis præcepti; & ea est levis, per quam leviter læditur talis virtus, ut patet in furto.

Q. 8. An peccatum mortale ex genere suo fieri potest veniale, & vicissim?

Resp. I. Cùm ad mortale requiratur gravitas materiæ, & sufficiens advertentia, & consensus, sequitur peccatum ex genere suo mortale fieri veniale. I. Ob levitatem materiæ, ut patet in peccatis contra justitiam, v. g. Furto levi. Nam tunc leviter læditur justitia, quæ est finis præcepti vetantis furtum, & sic tunc est levis inordinatio, & transgressio, ac offensa